

SECTIO TERTIA. — De præscriptione.

Præscriptio in novo Codice, art. 2219, definitur: Modus acquirendi (dominium) vel se liberandi (ab aliqua obligatione) per certum ac definitum temporis lapsum, sub conditionibus a lege præfixis.

Duplex ille præscriptionis modus gallice dicitur, *prescrire un droit, prescrire contre un droit*.

Si de priori modo agatur, motiva præscriptionis sunt, 1° ne bona diutius maneant incerta; 2° ut litibus finis imponatur; 3° ut possessores assicurati, majori cura res suas administrarent magisque in illis augendis invigilent; 4° quia ex possessione jus præsumitur. Si de posteriori modo sit locus, præcedentibus motivis alia accedunt, nempe 1° ne quis nimia cura conservare teneatur instrumenta quibus constet se liberatum esse; 2° ne post longum tempus magnam debeat solvere pecuniam, quod ipsi nimis onerosum esset.

Præscriptio a jure naturali non oritur immediate, sed ei valde conformis est; unde apud omnes populos existit. Cum autem vim suam a lege positiva mutuet, duplex exsurgit quæstio, scilicet, 1° utrum quis possit in conscientia per præscriptionem dominium alicujus rei acquirere, aut ab aliqua obligatione se liberare; 2° quænam requirantur conditiones ut pro conscientia præscriptio valeat. In duplici puncto igitur dicemus 1° de præscriptione in se spectata; 2° de conditionibus ad legitime præscribendum requisitis.

Sed quædam notanda sunt, scilicet: 1° nemo præscriptioni nondum inceptæ renuntiare potest, ex art. Cod. 2220, quia est dispositio pro bono communi a lege statuta; verum præscriptioni absolutæ valde renuntiat si bona sua alienare possit, tunc enim habet jus acquisitum, et unusquisque ad contrahendum idoneus de jure suo cedere potest. Item præscriptioni inceptæ et nondum absolutæ renuntiare potest, eo sensu quod præscriptionem interrumpat, non vero renuntiare potest juri novam incipiendi præscriptionem.

2° Duplici modo renuntiatio præscriptioni acquisitæ fieri potest, expresse videlicet, et tacite. Renuntiatio expressa fit per actum, et tacita deducitur ex facto renuntiationem ad jura acquisita supponente. *Art. 2221.*

3° Cum præscriptio jus reale producat, creditores et quælibet persona cujus interest ut existat, renuntiationi se opponere possunt. *Art. 2225.*

Panctum primum. — *De præscriptione in se spectata.*

Diu plerique theologi negaverunt præscriptionem legalem verum creare posse titulum pro foro iaterno. Dubius erat *S. Raymundus de Pennafort*, in sua theologiæ Summa circa annum 1235 scripta, et dicit theologos eo tempore in variis abire sententias. At sententia affirmans nunc generaliter admittitur.

PROPOSITIO.

Præscriptio, servatis conditionibus debitæ, legitimus est modus quo quis potest in conscientia dominium alicujus rei acquirere, vel ab aliqua obligatione liberari.

Prob. 1° ex lege civili. Modus ille acquirendi dominium vel se ab obligatione liberandi est legitimus, si suprema auctoritas civilis potuerit et voluerit dominium sic transferre: at utrumque constat: 1° *Potuit*; nam vi alti dominii sui, de bonis subditorum disponere potest, quando grave societatis commodum id exigit; *a fortiori* leges condere potest ad definiendos proprietatum limites: ex dictis autem graves rationes præscriptionem, non solum utilem, sed quasi necessariam faciunt. 2° *Voluit*, ut, ex verbis, motivis et sine legis, ex omnibus quæ statuuntur in Codice, ex apprehensione omnium et jurisperitorum interpretatione evidenter sequitur. Non agitur ergo tantum de actione civili denegata ut in quibusdam casibus ubi verum jus non transmittitur, sed de vero jure possessori transmissio. Ergo 1°.

2° *Ex jure canonico*, in quo de Præscriptione sæpius

agitur; v. g., Decret. part. 2, causa 16, q. 3, Decretal. tit. 26, etc. Jus autem canonicum non loquitur tantum pro foro externo, siquidem præcipuus finis ejus est ut a peccato removeat. Idem astruitur indirecte ex iis quæ de bona fide dicuntur. Ergo 2°.

3° Veritas propositionis nostræ constat etiam ex unanimi canonistarum et theologorum nunc existentium sententia. Ergo 3°, etc. Ergo, etc.

Obj. Nemo invitus, et absque sua culpa aut negligentia, re sua legitime privari potest: atqui tamen per præscriptionem multi re sua absque sua culpa aut negligentia privantur: ergo.

R. 1°. *Dist. maj.* Nemo, etc., si bonum publicum illud non postulet, *conc.*; si bonum publicum illud postulet, *nego maj.* Bona enim privatorum bono publico cedere debent: atqui bonum publicum exigit ut aliquoties privati absque consensu, culpa vel negligentia, re sua priventur, videlicet propter rationes tanquam motiva præscriptionis modo expositas: ergo.

R. 2°. *Nego minorem*, propter nimiam generalitatem suam; sæpe enim qui vi præscriptionis spoliuntur, a culpa negligentia non sunt immunes: hanc negligentiam pro bono societatis præcavere voluerunt legislatores, ut advertit *Bigot de Préameneu, Exposé des motifs de la Loi relative à la prescription.*

Attamen, etiamsi constaret nullam exstiterit negligentiam in aliquo casu particulari, nihilominus valeret præscriptio propter alias rationes superius allatas.

Unde qui bonum aliquod per legitimam præscriptionem obtinuit, etiamsi postea clare advertat alterius fuisse, potest tamen, tuta conscientia, illud retinere.

Punctum secundum. — *De conditionibus ad legitime præscribendum requisitis.*

Ad legitime præscribendum duo generatim requiruntur, nempe 1° ut per totum temporis spatium lege statutum bona sit fides, non solum externa et apparens, sed interna

et realis, id est, ut possessor persuasum habeat rem esse suam; 2° ut omnes conditiones a lege civili requisitæ accurate impleantur, quod per duas sequentes propositiones stabiliemus.

Notandum duplicem distingui bonam fidem, unam theologiam et alteram juridicam. Bona fides *theologica* ea est quæ excludit peccatum: bona fides *juridica* excludit indicia ex quibus in foro civili mala fides probari possit. Unde una sine altera existere potest. Ad præscribendum in foro civili bona fides juridica sufficit: pro foro autem conscientia requiritur bona fides theologica, et insuper juridica, alioquin lex dominium non transferret. Dicenda in sequenti propositione præcipue intelligenda sunt de bona fide theologica.

PROPOSITIO PRIMA.

Bona fides interna et realis requiritur.

Prob. 1° auctoritate concilii Lateranensis III, can. 41: *Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica quam civilis; unde oportet ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienæ.*

2° *Ex 2ª* regula juris in Sexto: *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.*

3° *Ex ratione*: nisi enim bona fides interna et realis ad legitime præscribendum requiretetur, fur, simoniacus, usurarius præscribere possent: at illud manifeste repugnat. Unde jus canonicum merito in hoc puncto, juxta æquitatis regulas, civiles reformavit leges, quæ ad solam malæ fidei probationem attendere videntur. Ergo, etc.

Bona fides ad legitime præscribendum requisita, est firma persuasio qua quis prudenter judicat rem quam possidet esse suam, non vero alienam. Hæc bona fides in ipso possessionis initio existere debuit, adeo ut qui bonum aliquod mala fide cœpit possidere, nunquam illud legitime in conscientia præscribere valeat, quantumvis longo tem-



poris spatio illud tranquille possideat, etiamsi postea penitus oblivisceretur illud esse alienum, alioquin fraus ipsi patrocineretur: unde statim atque recordatur bonum istud non esse suum, illud reddere tenetur. Ita theologi, præsertim *Collator Parisiensis*, t. III; ita et juristæ, inter quos *Domat*, lib. 3, tit. 7, sect. 4; *Pothier*, *Traité des Obligat.*, n. 657; *Troplong*, *de la Prescription*, t. II, etc.

Bonæ fidei obstare possunt mala fides auctoris, dubium, ignorantia et culpa.

1^o *Mala fides auctoris*. Duplici modo aliquis succedere potest alteri, scilicet titulo particulari et titulo generali. Si succedat titulo particulari, v. g., accipiens, ex dono inter vivos vel per testamentum, summam fixam vel objectum determinatum, præscribere potest: mala fides enim auctoris ei non imputatur, quia non est eadem possessio continuata, et auctor non censetur ei transmittere bonum male acquisitum, nisi forsitan tota ejus possessio esset injusta, aut bonum speciatim transmissum injuste fuisset acquisitum: tunc enim legatarius titulo particulari, advertens rem sibi datam esse alienam, eam proprietario reddere teneretur, ex naturali æquitate. Ita *Domat*, et *DD. Gousset* eum citans, *Cod. civ. comm.*, art. 2236. Hanc decisionem ex mente legis desumptam applicantes, volunt, si præscriptio in foro civili jam compleatur, restitutionem faciendam esse proprietario pauperi, et, e contra, rem a legatario pauperi, ob titulum legis, retineri posse.

Qui autem alteri succedit titulo generali, v. g., totam hæreditatem, vel dimidiam, vel tertiam ejus partem accipiens, præscribere non potest vi possessionis auctoris: eadem enim habet jura quæ habebat auctor cujus possessionem continuat: auctor vero nulla habebat jura, ut supponitur. Ergo, etc. Sic expresse *Pothier*, n^o citato, et *Troplong*, n^{is} 495, 932 et seq. de ipso civili foro agens.

At, qui bona titulo generali ab auctore malæ fidei accepit, eaque per triginta annos possedit, credens esse sua, eorum dominium acquisiitne in conscientia vi præ-

scriptionis? Non est dubium quin valeat præscriptio in foro externo. Valetne in foro interno? Plures affirmant, inter quos *DD. Gousset*, *Code commenté*, 2^e édit. p. 755, et alii recentiores theologi, strictis principiis innixi: alii vero, solum sensus communis et inditæ æquitatis dictamen sequentes, negant, et dicunt, cum lege romana, hæredem immediatum possessoris malæ fidei nullo tempore rem a suo auctore receptam præscribere posse, quamvis eam bona fide habeat et velit a seipso præscriptionem inchoare. *Ferraris*, v^o *Præscript.*, § 2, n. 11, dicit hanc opinionem esse communem. Idem sentiunt *Pothier* et *Troplong*, jam citati. *Ferraris* autem, *Reiffenstuel*, *Lessius* aliique passim asserunt hæredem mediatum præscribere posse, computando solum tempus quo ipse possedit, et non tempus quo hæres immediatus possedit, quia non censetur, sicut hæres immediatus, possessionem mala fide acquisitam continuare.

2^o *Dubium*. Vel dubium possessionem antecedit, vel possessioni inceptæ supervenit. In priori casu, communiter docetur tale dubium bonam fidem impedire: bona fides enim ad præscribendum requisita est persuasio rem esse suam, non vero alienam: porro qui cum dubio rem quamdam apprehendit, firmam non habet persuasionem illam esse suam. Illam ergo possidere non potest nisi cum intentione verum quærendi dominum cui eam remittat. Si, diligentia facta, detegat eam nullius esse, illius dominium acquirit titulo occupationis: si verum inveniat dominum, illam restituet: si advertat existere dominum, sed ignotum, res erit tractanda, sicut diximus de bonis inventis, et dominium ejus titulo præscriptionis acquiri non poterit.

Si autem possessioni ex bona fide inita dubium superveniat, possessor tenebitur, juxta omnes, convenientem adhibere diligentiam ad excutiendum dubium. Diligentia vero facta et dubio permanente, multi dicunt præscriptionem inceptam currere; nam, inquirunt, ad legitime præscribendum sufficit bona fides practica: at ille cui aliquod supervenit dubium, nihilominus habet bonam fidem præ-

tiam, cum in dubio melior sit conditio possidentis. Ita *Biliuart*, et, apud ipsum, *Sylvester*, *Nacarius*, *Covarruvias*; ita etiam *Sylvius*, *Habert*, *Collat.*, *Andeg.*, *S. Lygourius*, etc. Alii non pauci, cum *Soto*, volunt rem ratione dubii esse dividendam, et sic ratiocinantur: Possessor rem totam retinere non potest nisi prudenter judicet esse suam: in præsentem autem casu prudenter judicare non potest esse suam, cum graves habeat rationes credendi esse alienam.

Præterea, ipsi alterius sententiæ patroni fatentur rem pro ratione dubii esse dividendam, si possessio cum dubio fuerit inchoata: porro rationes dubium possessioni superveniens constituentes, eundem producere debent effectum ac si in ipso possessionis initio exstitissent, modo ejusdem sint gravitatis. Ergo.

Laudatum vero axioma: *Melior est conditio possidentis*, est regula pro foro externo; id est, in tali dubio iudices damnare non debent possessorem rei ad eam reddendam, donec probetur ipsius non esse, quod quidem videtur justum: melior est ergo conditio possidentis. Melior est etiam aliquo sensu in foro interno: in simplici enim suspitione possessor rem, tuta conscientia, retinet; in vero dubio eam adhuc retinere potest, donec sufficientem adhibuerit diligentiam ad excutiendum dubium. Ergo.

Prior opinio est communior et sat probabilis videtur, ut eam in praxi damnare nollemus, licet posterior, iudicio nostro, magis sit fundata.

3° *Ignorantia*. Alia est ignorantia facti et alia juris: ignorantia *facti* ea est qua quis, sciens legem, ignorat tale factum legi esse oppositum; v. g., noscens minores contrahere non posse, ignorat talem personam esse minorem. Ignorantia *juris* illa est qua quis naturam facti cognoscens, legem illud prohibentem nescit.

Certum est 1° ignorantiam notabiliter vincibilem, sive facti, sive juris, bonam fidem ad legitime præscribendum requisitam procreare non posse: qui enim tali laborat ignorantia, dici non potest merito persuasus rem alienam a se detentam esse suam.

Certum est 2° ignorantiam facti invincibilem constituere bonam fidem ad legitime præscribendum requisitam, alioquin aut bonum alienum non possideretur, aut nulla unquam existeret bona fides ad legitime præscribendum sufficiens.

3° In præscriptionibus 30 annorum non exigitur bona fides juridica, et proinde non impedit præscriptiones illas ignorantia juris, quæcumque sit. In præscriptionibus in quibus bona fides juridica requiritur, nunquam admittitur in foro civili excusatio ab ignorantia juris, sive clari, sive obscuri, petita. Dicendum est ergo, cum theologis et jurisperitis generaliter, ignorantium juris titulum legis ante 30 annos completos impedire, ac proinde nunquam esse sufficientem ad constituendam legitimam præscriptionem pro foro interno. Vide *Pothier*, de la *Prescript.*, n. 26; *Troplong*, n. 926; *DD. Gousset*, in art. 2262, etc.

4° *Culpa*. Culpa theologica, de qua sola hic agitur, ea est quæ fit contra justitiam, quæ scilicet, jus domini lædit; potest esse gravis, vel venialis: si sit gravis, cum bona fide manifeste est incompatibilis et præscriptionem impedit. Si autem sit tantum venialis, quod accidit quando aliquo superveniente dubio, possessor venialiter negligit adhibere sufficientem diligentiam ad excutiendum dubium, videtur eam non impedire præscriptionem pro foro interno: si enim vel minima negligentia validitati præscriptionis obstaret, talis modus acquirendi dominium aut ab obligatione se liberandi, timoratis conscientis nullius esset utilitatis, imo eas multis anxietatibus turbaret. Ergo.

Juxta multos theologos et juristas alia est bona fides ad dominium acquirendum, et alia ad se ab aliqua servitute passiva liberandum. Ad dominium enim acquirendum, ea necessaria est bona fides huc usque exposita: ad se autem ab alia servitute passiva vel a *debito requirendo* (*dette requérable*) liberandum, bona fides requisita in eo consistit ut nullum ponatur obstaculum, quo alter ab usu juris sui impediatur: debitor enim, in his casibus, creditorem admonere non tenetur; sufficit ergo ut nihil faciat qua illum

ab utendo jure suo removeat. Attamen *Pothier, Traité de la Prescription*, n. 149, ita sentire non videtur: requirit enim ut possessor alicujus fundi contra census, hypothecas aliasque ejus generis servitutes legitime præscribat, quod eam habeat bonam fidem qua judicet se acquisisse dominium a tali servitute liberum. Hæc opinio regulis æquitatis conformior esse videtur. Vide etiam *Toullier*, t. 3, p. 523 et seq.

PROPOSITIO SECUNDA.

Ad legitime præscribendum, omnes conditiones lege positiva determinatæ impleri debent.

Prob. Dominium rei alienæ per præscriptionem non transmittitur, nisi vi legis positivæ et auctoritate legislatoris: lex igitur totus est titulus quo dominium rei acquiritur. Ut autem legitimus sit titulus, omnes conditiones ad illum constituendum requisitæ impleri debent, ut patet. Ergo.

Jam de bona fide requisita egimus. Cæteræ conditiones sunt, 1º ut res sit præscriptibilis; 2º ut adsit possessio; 3º titulus; 4º tempus lege determinatum.

1º *Ut res sit præscriptibilis.* Conditiõ hæc, in Cod. civ. art. 2226 expressa, ratione evidentè fundatur: res enim quæ a privatis possideri non possunt, vel contra quas legitimus haberi non potest titulus, præscribi nequeunt; talia sunt flumina, viæ publicæ, pontes, ecclesiæ, cœmeteria, etc.

2º *Ut adsit possessio.* Hæc autem possessio debet esse tranquilla, publica, certa, titulo proprietarii et tempore præfixo continuata. 1º *Tranquilla*, quia ex art. 2233 Codicis et ex ratione, actus violentiæ constituere nequeunt possessionem ad præscribendum utilem: possessio utilis non incipit nisi a momento cessationis omnis violentiæ. 2º *Publica*, id est talis ut is contra quem præscriptio currit eam cognoscere possit: unde servitutes non apparentes, v. g., prohibitio in tali fundo ædificandi, vel ædificium ultra talem altitudinem extollendi, præscribi non possunt.

Cod. civ. art. 689 et 691. 3º Certa, et non dubia aut æquivoca, alioquin vera non existeret bona fides. 4º *Titulo proprietarii*, non vero nomine alterius, ut colonus, procurator, etc. 5º *Tempore præfixo continuata*, ac proinde sine interruptione. Duplici autem modo possessio interrumpi potest, naturaliter scilicet et civiliter. Possessio interrumpitur naturaliter, si res ab alio titulo proprietarii possideatur: cum requiratur possessio unius anni ut quis actionem juridicam *possessoriam* exercere possit, statutum est in Codice civ. art. 2243, interruptionem existere si res a legitimo proprietario vel ab alia persona per temporis spatium longius anno possideatur. Civiliter vero interrumpitur, si possessor, in cujus favorem currit præscriptio, ante tribunalia etiam incompetentiã citatur, si mandatum ad eam restituendam, ad pretium ejus solvendum, etc., intinetur. *Cod. civ. art., 2244 et 2246, etc.*

Possessio aliquando non interrumpitur, sed suspenditur, ut videre est in Cod. civ. art. 2251 et seq.

Inter suspensionem autem et interruptionem præscriptionis hoc datur discrimen, quod tempus suspensionem præcedens cum tempore subsequente jungatur ad complendum spatium temporis lege determinatum, dum in interruptione valida tempus præcedens pro nihilo reputatur.

3º *Ut adsit titulus.* Titulus generatim est causa propter quam aliquid possidemus. Hic non agitur de *vero* titulo, quia ubi est verus titulus non datur locus præscriptioni. Est autem titulus præsumptus, titulus coloratus et titulus vitiosus. Titulus *præsumptus* ille est qui habetur ut verus, dum nullus existit: ad præscriptionem non sufficit, nisi ubi nullus requiritur titulus. Titulus *coloratus* ille est qui ex natura sua proprietatem transferre potest, v. g., si quis falso reputatus proprietarius, rem alienam vendat, commutet aut donet, per actum authenticum, ut suam. Ad præscribendum sufficit. Titulus *vitiosus* est ille qui caret aliqua e conditionibus lege statutis: nunquam allegari potest, quia dispositiones in lege statutæ ut necessariæ nunquam reputantur ignotæ. Imo si exhiberetur titulus

lus ex quo constaret possessionem in initio fuisse vitiosam, v. g., possessorem rem obtinuisse ut colonum, non ut proprietarium, non valeret præscriptio, quantumvis longa exstisset possessio tranquilla. Unde sequens prodiit axioma: *Melius est non habere titulum quam titulum vitiosum.* *Cod. civ. art. 2231, 2236 et 2237.* Titulus nullus in forma, v. g., donatio sub chirographo privato, nunquam esse potest fundamentum sufficiens ad præscribendum, licet bona fides theologica existat, nisi ubi non requiritur titulus. *Cod. civ. art. 2267.*

4^o *Ut adsit tempus lege statutum.* Plus minusve longum temporis spatium requiritur ad præscribendum, secundum varias circumstantias rei, tituli et personæ.

Omnes actiones, tam reales quam personales, per 30 annos præscribuntur, et qui eam allegat præscriptionem, non tenetur exhibere titulum, nec mala fides ei objici potest. Talis autem præscriptio in foro civili valida, et quidem merito, ne proprietates maneant incertæ et quia præsumitur titulum per tam longum tempus perire potuisse, obligationem naturalem restituendi non exstinguit, nisi juncta sit bonæ fidei, de qua supra diximus.

Qui per titulum in forma validum acquisivit in bona fide bonum aliquod immobile, illius dominium virtute præscriptionis obtinet per decem annos, si realis proprietarius in territorio ejusdem curiæ appellationis (*ressort de la même cour d'appel*) habitet, et per 20 annos, si proprietarius in territorio alterius curiæ appellationis maneat. *Cod. civ. art. 2265.*

Aliæ præscriptiones, contra nonnullas actiones, absolvuntur per quinque annos, per duos annos, per unum annum, per sex menses. Vide *Cod. civ. art. 2271 et seq.* In hujusmodi præscriptionibus semper supponitur pretium debitum fuisse solutum, et actio in foro civili denegatur ne perpetuæ oriantur lites; sed legislatores non intendunt dominium a creditore in debitorem transferre: hoc patet ex recta ratione, ex communi auctorum sententia, et si de præscriptionibus sex mensium aut unius anni agatur, ipso Codicis articulo 2275, in quo statuitur jura-

mentum alleganti talem præscriptionem deferri posse ipsismet viduis, hæredibus, ac minorum tutoribus, ut declararent an debitum realiter adhuc existat, vel per solutionem legitime fuerit exstinctum.

Ubi agitur de bonis mobilibus, possessio habetur ut titulus, id est, qui rem detinet censetur ejus dominus, nisi contrarium probetur. Attamen possessor rem tutâ conscientia retinere non potest, vi præscriptionis, nisi bona fide persuasum habeat esse suam, non vero alienam, aut nisi eam in nundinis, vel in foro publico, aut a mercatore res hujus generis publice vendente emerit; quo in casu, ex art. *Cod. civ. 2280*, rem vero proprietario reddere non tenetur donec pretium a se solutum sibi restitutum fuerit. Bona Ecclesiæ olim præscribi non poterant, nisi per 40 annos, et bona Ecclesiæ Romanæ per centum annos. Novæ autem leges nostræ hanc non admittunt distinctionem: bona ecclesiastica aliaque bona eodem temporis lapsu, et iisdem aliis conditionibus præscribuntur.

Debitor census annui per præscriptionem non extincti cogi potest a creditore, post elapsos viginti et octo annos a die ultimi tituli, ad novum constituendum titulum propriis expensis. *Cod. civ. art. 2263.* Sic statutum est ad amovendam fraudem et ad præbendum medium præscriptionem impediendi.

Quæritur utrum census annui olim ecclesiis aut privatis debiti, qui ab initio perturbationis Gallicanæ non fuerunt soluti, nec hodie juridice repetuntur, in foro conscientiæ solvendi sint, an vero virtute præscriptionis maneant extincti, saltem quoad præteritos redivus vocatos *ariérages*.

R. Omnes census dicti *rentes foncières*, *rentes constituées*, ecclesiis vel privatis debiti, sive titulus eorum existat, sive perierit, minime virtute præscriptionis extincti sunt, quia bona fides ad præscribendum requisita non existit; debitores enim titulum de natura sua proprietatis transmissivum non habent, nec rationabiliter præsumere possunt se nihil debere: prædicti ergo census vi præscrip-

tionis non sunt extincti pro foro interno. Debitores igitur sub denegatione absolutionis cogendi sunt ad solventes redditus præteritos, et ad novos titulos concedendos. Quia tamen nimis onerosum esset omnes redditus præteritos solvere, et quia aliunde debitores communiter ex his omnibus non facti sunt ditiores, recurrendum est ad compositionem bona fide factam.

Nonnulli censuum ecclesiasticorum redditus, dum impossibile erat eos ecclesiis solvere, bona fide ad alios usus pios propria auctoritate adhibuerunt, vel aliter impendunt, nec ditiores inde facti sunt. De istiusmodi redditibus nunc teneri non videntur erga ecclesias; si enim de illis tenerentur, vel ratione rei alienæ, vel ratione culpæ, *ut infra dicemus*: atqui neutrum dici potest. Non ratione rei alienæ, cum apud eos res aliena non existat: non ratione culpæ, siquidem ex bona fide prædictos redditus impendisse supponuntur. Ergo.

Si autem illos in mala fide sic impendissent, vel si inde rebus suis pepercissent et ditiores facti fuissent, ad totum tenerentur, nisi, ob rationes sufficientes, aliquam immutationem ab episcopo, vel a consilio fabricæ, episcopo approbante, obtinerent.

Qui capitale hujusmodi censuum ante Concordatum anni 1801 Reipublicæ aut ab ipsa delegatis solverunt, et legalem obtinuerunt exonerationem, vi prædicti Concordati ab obligatione restituendi liberati videntur; deterioris enim conditionis esse non debent ac cæteri bonorum ecclesiasticorum acquirentes, quos ad restitutionem strictè obligatos esse negamus in Tractatu *de Contractibus*. +

Qui vero a tempore Concordati usque ad decretum diei 26 julii 1803, quo omnes census nondum alienati restituti sunt fabricis ecclesiarum, sponte capitale eorum solverunt, totum etiam refundere tenentur, tunc enim ecclesias culpa sua spoliaverunt, et virtutem atque efficaciam Concordati in sui gratiam invocare non possunt. Si autem coacte illud solvissent, ad nihil tenerentur, nisi forte integre capitale non præstitissent: in illo casu, ad partem valoris non solutam et ad partem reddituum proportiona-

tam obligarentur, quia pars illa census extincta non esset proindeque ad ecclesiam adhuc pertineret. Ergo.

Omnes alii census ecclesiastici, sicut et cuncta bona non vendita, quæ, non ad fabricas, sed ad monasteria, ad seminaria, vel ad alia beneficia amplius non existentia pertinebant, reddi debent episcopo qui ea ad alium finem legitimum applicanda curabit. 1º Reddi debent; possessores enim in ea jus non habent; imo sunt possessores malæ fidei, ac proinde universos fructus restituere tenentur. 2º Reddi debent episcopo; sunt enim bona ecclesiastica in pias causas fundata; sed finis a fundatoribus intentus jam obtineri nequit. Porro, ubi de causis piis agitur, episcopus pro sua diocesi legitimus est voluntatis defunctorum interpres, ut constat ex conc. Trid., sess. 25, c. 4, de Reform. Ergo.

Juxta leges 4 ventôse et 7 messidor an IX, quicumque novit bonum aliquod ecclesiasticum non fuisse venditum, et injuste ab aliqua persona detineri, obtinere potest ut illud ecclesiæ, xenodochio aut alteri religiose institutioni restituatur. Sic procedere debet; declarat auctoritati competenti, puta præfecto, se bonum immobile cognoscere quod administrationi bonorum nationalium fuit celatum; ostendat se illud manifestare paratum esse, modo ad talem aut talem finem applicari gubernium permittat. Præfectus sollicitat edictum (*ordonnance*), quo approbatur ut bonum istud ad finem designatum applicetur; tunc qui declarationem fecit, bonum memoratum manifestat, et possessor illud illiusque fructus statim reddere cogitur.

Hæc decisio non mediocris erat utilitatis tempore quo præsens Tractatus prima vice in lucem prodiit, nempe anno 1817: nunc vero applicari non potest efficaciter, quia hujusmodi bonorum possessores, si qui sint, præscriptionem fere semper invocare queunt.

SECTIO QUARTA.— De aliis modis minus præcipuis dominium acquirendi.

Præter memoratos dominium acquirendi modos, plures alii numerantur, videlicet, alluvio, specificatio, confu-

sio seu commixtio, ædificatio, plantatio, accessio et nati-
vitas.

Alluvio est incrementum lætens et insensibile quod uni prædio flumen adjicit. Hoc autem duplici modo fieri potest, nempe quando flumen terram, arenas et glareas trahit, atque prædio alicujus proprietarii jungit, et quando unam e suis ripis insensibiliter deserit alteramque invadit. In utroque casu incrementum istud ad dominium fundi cui adjicitur pertinet. *Cod. civ. art. 556 et sequentibus.*

Quædam tamen sunt exceptiones in ipso Codice legendæ, art. 558 et seq.

Specificatio est confectio novæ alicujus speciei ex aliena materia, v. g., si quis ex alienis uvis vinum, vel ex auro alieno poculum fecerit; in illo casu proprietarius materiæ novam speciem ex materia sua confectam repetere potest, solvendo artifici laboris ipsius pretium. *Cod. civ. art. 570.*

Si pretium laboris artificis longe materiæ alienæ valorem superet, v. g., si sculptor marmor alienum in statuan converterit, vel pictor alienam telam pinxerit, tunc artifex novam speciem sibi retinere potest, solvendo proprietario materiæ justum illius valorem. *Cod. civ. art. 571.* At si artifex materiam alterius ad novam speciem faciendam mala fide adhibuisset, omne quod intulisset illi damnum reparare teneretur in foro interno, et ad illud etiam in foro externo damnaretur. *Cod. civ. art. 577.*

Confusio vel *commixtio* dicitur quando duæ res confunduntur, ut duo vina diversa, vinum et mel, etc., aut commiscantur, ut duo acervi tritici, duo greges ovium. Quæ in specie propria et in individuo separari possunt, ut greges, separanda sunt: quæ separari nequeunt, ut quinque modii tritici, dividi debent, si dividi possint; sin autem, pertinent in communi ad dominos materiæ sic confusæ, pro ratione partis prius unicuique competentis. *Cod. civ. art. 573.*

Ædificatio dicitur quando quis ex aliena materia in suo fundo, vel ex sua materia in fundo alieno ædificat. In

priori casu, ædificationes suas retinere potest, solvendo proprietario materiæ justum ejus pretium; in posteriori autem casu, dominus fundi jus habet retinendi ædificationes, justo earum pretio, sive quoad materiam, sive quoad laborem, soluto: si nolit ædificationes in fundo suo retinere, exigere potest ut ille qui ædificavit, ædificationes suas propriis expensis destruat, et insuper omnia quæ inde sequuntur damna resarciat. Si tamen qui in alterius fundo ædificavit, hoc in bona fide fecerit, proprietarius exigere non poterit ut ædificationes destruat, sed tenebitur, vel materiæ et artis pretium solvere, vel augmentum valoris quod fundus inde suscepit restituere. *Cod. civ. art. 555.*

De plantatione eodem modo ratiocinandum est ac de ædificatione. *Eodem art. Cod. civ.*

Accessio. Proprietas rei, sive mobilis, sive immobilis, dat jus in omnes productiones ejus et in omne quod ei naturaliter aut artificialiter adjungitur. *Cod. civ. art. 546.* Jura in varias accessiones per sequentes Codicis articulos determinantur.

Nativitas. Virtute accessionis animalia quæ nascuntur ad dominum animalis feminei sexus pertinent, non vero ad dominum animalis masculini sexus, juxta vetus axioma: *Fetus ventrem sequitur.* *Cod. civ. art. 2247.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE USUFRUCTU, USU ET SERVITUTE.

Paucis notionibus absolvemus quidquid de usufructu, usu et servitute dicturi sumus. Consulat unusquisque Codicem civilem, et fusius ibi videbit quod solummodo hic indigitaturi sumus.

1º *Usufructus* est jus rebus alienis utendi et fruendi tanquam ipse proprietarius, salva earum substantia. *Cod. civ. art. 578.*

Hinc 1º usufructuarius habet non solum rei alienæ usum, v. g., equi, domus, agri, sylvæ, etc., sed omnes

fructus ejus facit suos, atque de illis pro nutu disponere potest. Jus habet percipiendi quicquid in fundo nascitur, sicut segetes, fenum, fructus arborum, proventus piscationis et venationis; lapidicinas aliasque quascumque fodinas inceptas continuare potest, sed novas aperire nequit. *Cod. civ. art. 582 et 598.*

In sylvis cæduis (*bois taillis*) usufructuarius cædere potest earum portionem quam pater-familias cædere solet. In sylvis altis (*futaies*) nihil cædere valet, nisi proprietarius inceperit eas per quamdam portionem singulis annis cædere; in illo enim casu usufructuarius potest eodem modo per singulos annos eas cædere. *Cod. civ. art. 591.*

Usufructuarius habet adhuc fetus animalium, eorum lanam, lac, plumas, etc. *Cod. civ. art. 585.*

Jus suum alteri titulo venditionis, locationis vel donationis cedere potest. *Art. 595.*

Percipit fructus qui nondum collecti sunt, quamvis maturi, cum usumfructum incipit habere; e contrario fructus etiam maturos, sed non collectos tempore quo usufructus desinit, non facit suos, nisi contrarium fuerit stipulatum. *Cod. civ. art. 582 et sequentibus.*

Hinc 2^o cum usufructuarius rei substantiam integram domino conservare debeat, tenetur 1^o illa uti sicut bonus pater-familias utitur re sua quam sibi et posteris vult integram conservare: unde non potest sylvas non cæduas cædere, grandiores arbores tempestate eversas sibi arrogare, agrum sua negligentia deteriore facere, etc. Tenetur 2^o gregem ita servare ut in locum demortuorum capitum alia substituat, sed non ultra numerum capitum quæ ex fetibus proveniunt. *Cod. civ. art. 616.* Similiter, loco vitium aut arborum fructiferarum quæ mortuæ sunt, novas arbores vel vites plantare tenetur: mortuæ autem illi cedunt, sicut et quæ per accidens evertuntur. *Cod. civ. art. 594.* Tenetur 3^o modicas reparationes de suo præstare, non vero majores. Has proprietarius facere tenetur, nisi earum necessitas ex negligentia usufructuarii contingat. *Art. 605.* Ædes vetustate vel casu fortuito collapsas reædificare non tenetur usufructuarius, nec proprietarius

ad id obligatur. *Cod. civ. art. 607.* Tenetur 4^o denique omnes præstare sumptus ad fructuum perceptionem necessarios, et omnia solvere tributa, sive ordinaria, sive extraordinaria, quæ pro re frugifera debentur. *Cod. civ. art. 608.*

Dispositiones istæ et omnes aliæ quæ ad usumfructum spectant, in Codice civili exprimuntur sub titulo, *de l'Usufruit*, ab art. 578 incipiente.

2^o *Usus* est jus re aliena in proprium usum tantum seu in propriam utilitatem utendi, salva ejus substantia: unde jus usuarii minus extenditur quam jus usufructuarii.

Usuarius jus suum vendere non potest, nec collocare, nec donare. Si tamen jus domo aliqua utendi habeat, in illa cum familia sua habitare poterit, etiamsi tempore quo usum acquisiit conjugatus non fuerit. *Art. 632.*

Pariter, si jus habeat oleribus, pomis aliisque fructibus ad proprium usum utendi, ad sustentandam suam familiam uti poterit, si contrarium non fuerit stipulatum. *Cod. civ. art. 630.*

Si usuarius omnes fructus absorbeat, totam domum occupet, ad sumptus culturæ et reparationum, nec non ad omnia tributa solvenda tenebitur, perinde ac usufructuarius. Si autem fructus ex parte tantum percipiat, si unam tantum partem domus occupet, ad portionem æquivalentem sumptuum, reparationum aut tributorum tenebitur. *Cod. civ. art. 635.*

Legatur in *Cod. civ.* totus titulus *de l'Usage*, ab art. 625 ad art. 638.

3^o *Servitus* in jure novo definitur: Onus prædii uni impositum in usum vel utilitatem prædii ad alterum proprietarium pertinentis. *Art. 637.* Triplex distinguitur servitus, scilicet naturalis, legalis et conventionalis.

Servitus naturalis ea est quæ derivatur ex positione naturali locorum: sic ager inferior suscipere debet aquas quæ naturaliter ex superiori fluunt. Hinc proprietarius superioris agri nihil facere debet ut aqua vehementius fluat, nec dominus fundi inferioris potest quacumque via arte cursum naturalem aquæ impedire. *Cod. civ.*

art. 640. Multa sunt scitu digna circa aquarum fluentia : legatur Codex civilis ab articulo præcedente 640 usque ad art. 645.

Servitus legalis illa est quæ lege, absque ulla conventionione particulari, stabilita et firmata est pro bono publico vel communi, aut pro utilitate privatorum. *Cod. civ. art. 649.*

Pro utilitate publica vel communi, ut, v. g., in ripis fluminum navigabilium, via qua homines navigia trahentes incedere possint; obligatio vias publicas reficiendi vel in bono statu conservandi, vias scilicet quæ ad gubernium non pertinent. Art. 650.

Pro utilitate privatorum, v. g. : 1º jus gallice dictum droits d'indivis, quod est servitus qua diversi proprietarii, qui diversa ejusdem domus tabulata possident, pro sua portione ad communes reparationes faciendas simul concurrere tenentur. Cod. civ. art. 664. 2º Jus quo aliquis vicinum cogere potest ad proprietates sibi invicem contingentes communibus expensis separandas. Art. 646. 3º Jus seu potius facultas jus obtinendi, dato pretio, per alterius fundum transeundi, vel animalia conducendi. Cod. civ. art. 682. 4º Jus habendi, in determinatis tantum circumstantiis, fenestras quæ alterius prædium respiciant, prohibitio altius ædificationes extollendi, stillicidia in tectum vel arenam vicini avertendi. Cod. civ. art. 678, 681 et 689.

Servitus conventionalis est illa quam privati inter se contractu speciali statuunt. Quascumque voluerint servitutes ita statuere possunt, modo præteritam non redoleant feodalitatem, nec bono publico adversentur. *Cod. civ. art. 686.*

Servitutes autem cessant, 1º per conditionis non-adimplentem vel illius extinctionem, quando erant conditionatae; 2º per renuntiationem illius in cujus gratiam existunt; 3º per consolidationem, si nempe idem homo fiat utriusque domini proprietarius; 4º per præscriptionem juxta regulas superius expositas; 5º per circumstantiarum mutationes, ita ut usus servitutum fiat impossibilis. Ubi vero, per novam mutationem, usus earundem servitutum

fit possibilis, iterum existunt, nisi præscriptio sit completa. Servitutes autem absque titulo per 30 annos præscribuntur. *Cod. civ. art. 703 et seq.*

Multa circa diversas servitutes in Codice civili statuuntur sub titulo *des Servitudes* : hæc ibi legantur.

PARS SECUNDA.

DE INJURIA ET RESTITUTIONE IN GENERE.

Cum, ex dictis, certum sit homines in quædam bona habere dominium, modo tantum utile, modo perfectum, sequitur inter ipsos jus proprie dictum existere. Violatio istius juris dicitur injuria, quæ proinde recte definitur : *Voluntaria juris alieni violatio.*

Injuria hæc de genere suo peccatum est mortale, nam intra speciei suæ limites sistendo, graviter rectæ rationi et bono ordini adversatur; sed non semper rectæ rationi et bono ordini graviter adversatur; dari enim potest levitas materiæ, ut omnes fatentur : ergo de toto genere suo non est peccatum mortale, id est, aliquando fieri potest levis defectu gravitatis materiæ. Quandonam autem hæc injuria sit gravis, quandonam vero sit levis, ex prudentum virorum æstimatione judicandum est.

Queritur utrum scienti et volenti fiat injuria proprie dicta.

R. Scienti et libere ac valide volenti nulla fit injuria; quia tunc, omnibus fatentibus, ibi non est violatio juris proprie dicta. Tres tamen inveniri debent conditiones, scilicet : 1º requiritur plenus consensus, id est, consensus qui a voluntate cum cognitione eorum in quibus est actio, procedat. Hinc qui pecuniam indebitam, falso debitam esse credens, solvit, veram patitur injuriam, quia adest error intellectus; pariter qui pecuniam offert malefactori aliquod malum minitanti, ad malum istud avertendum,